

suos facere fructus; immo percipere potest etiam distributiones quotidianas. Ita *in causa Tropien.* 7. Maji 1597. Ita *in Mediolan.* 29. Apr. 1593. Ita *in Corien.* 26. Aug. 1848. et aliis omissis in *Perusina* 30. Julii 1859. Excipiuntur tamen distributiones quæ ex voluntate fundatorum solis actu præsentibus Canonicis solvuntur. De Canonico Theologo fusius agimus in *Lib. V. Tit. de Magistris.* Modus vero collationis hujus præbendæ pro Italia et insulis adjacentibus determinatus est in Constitutione Bened. XIII. quæ incipit '*Pastoralis*', et est ut conferatur per concursum.

5. Secundum officium est Canonici Pœnitentiarum de quo loquitur Tridentinum in *c. 8. sess. 24. de Ref.* In hoc loco Conc. statuit ut in qualibet Cathedrali Ecclesia per unionem præbendæ proxime vacaturæ Pœnitentiarius instituatur, qui in Ecclesia confessiones audiat, et interim censeatur Choro præsens. Porro tum præbenda theologalis, tum pœnitentialis, dignitatem aut personatum adnexum non habere censentur, cum nec honoris præeminentiam secumferant ex jure Tridentino, nec jurisdictionem publicam, excepta jurisdictione in foro sacramentali pro Canonico Pœnitentiario. Hinc utraque præbenda officium adnexum habere solummodo censentur.

TITULUS XXVIII.

De officio Vicarii.

1. Vicarius in genere et vi vocis est qui vices alterius gerit: idest qui ministerium alteri competens exercet. Diversa fuit Ecclesiæ disciplina pro temporum varietate. Ope Vicariorum incœperunt Episcopi sibi reservare jura liberæ administrationis independentem a Dignitatibus Capituli, quæ jure proprio sibi vindicabant partem sollicitudinis ecclesiasticæ in Diœcesi. Potuerunt enim Episcopi e dispositione Conc. Lat. IV., uti vidimus personis sibi bene visis officia et administrationem committere. Hinc opportunum reputavimus hac in re totum jus exponere, quod nempe tum in Decretalibus Greg. IX. exhibetur, tum etiam quod sæquioribus sæculis inductum fuit et obtinuit.

2. Vicarius alius est in divinis, alius est jurisdictionis. Primus est qui alterius officium exercet in actibus ministerii sacri et in iis, quæ ad forum internum pertinent. Vicarii autem jurisdictionis sunt qui directe destinantur ad externam politiam regendam et

potestatem directe habent in foro externo. Ad genus Vicariorum in divinis præsertim pertinent Vicarii Curati, seu qui ad curam animarum exercendam designantur nomine alterius. Diximus 'præsertim'; nam etiam dantur Vicarii Episcoporum qui suffraganei vel Episcopi auxiliares vocantur, qui dantur vel ob causam precariam ad tempus, vel ad vitam Episcopi ut ejus loco sacramenta administrent, et functiones sacras in Ecclesia peragant. In titulo sermo est de Vicariis curatis.

3. Vicarius in divinis est vel temporaneus vel perpetuus. Temporaneus qui ad tempus, idest ob causam precariam, vel ad nutum constituentis exercet officium; perpetuus qui Vicariam in titulum habet, et ab ea removeri non potest nisi ob causam in jure expressam. Vicarius jurisdictionis vel est natus, ceu jure Decretalium erat Archidiaconus, vel datus, quem nempe Episcopus, aut is qui jurisdictionem habet quasi-episcopalem, sibi eligit, et constituit, quemque potest pro sua voluntate remove. Vicarius datus vel assumitur in partem ministerii totius Diœcesis, et dicitur Generalis, vel in partem vigilantie alicujus oppidi vel regionis, et dicitur Foraneus. Tandem est etiam Vicarius Capitularis.

4. De Vicariis in divinis vel beneficiis. — Vicarius in divinis ille est, qui in divinis ministeriis et præsertim in cura animarum aut in aliis rebus quæ ad forum internum spectant alterius vices gerit. Hinc Vicarius in divinis potest etiam dari in adimplendo munere Beneficiati, quemadmodum est Coadjutor, qui loco Beneficiati titularis choro adsistit, et reliqua munia beneficii adimplet. Præsertim vero, Vicarius in divinis constituitur ad curam animarum exercendam. De hoc ergo altero Vicario in divinis loquimur præcipue; et in primis quidem de causis ob quas Vicarius in divinis constituitur. 1^a. — Ex juris dispositione cura animarum residere potest penes personam moralem, idest Capitulum aut monasterium aut aliud ecclesiasticarum personarum collegium. Jam vero cum ad rectum regimen animarum 'una Ecclesia unius debeat esse sacerdotis' *c. 15. de Præb. et Dignit.* ne cura in communi existens, a nullo ceu propria efficaciter exerceatur, inductum est, ut vel unus de gremio, vel extraneus assumatur, qui relicta cura habituali in persona morali, curam animarum actu adimpleat. — 2^a. Causa est si officium curæ animarum spectat ad Episcopum, qui sibi reservavit administrationem alicujus Parœciæ, vel si cura spectet ad Abbatem Monasterii qui regimen Monasterii ipsius teneat.

Quo in casu, cum rector principalis non facile adimplere posset munia parochialia, nec quandoque expediat ut eadem munia per seipsum adimpleat; in jure provisum est ut alteri vices suas committat. — 3^a. Causa locum habet, cum parochia in censu suo divisa nimia amplitudine locorum extenditur, ac numeroso populo constat; quo in casu Ecclesia filialis erigitur, in qua Sacerdos Episcopo approbante constituitur, qui vices gerat rectoris principalis in administratione sacramentorum et in aliis divinis officiis exequendis *c. 3. de Eccl. œdif.*

5. Hæ causæ sunt ob quas constituitur Vicarius perpetuus, ille nempe qui canonice deputatus et institutus censetur ceu verus et legitimus possessor beneficii curam animarum adnexam habentis, nec removeri potest, nisi reus fiat alicujus criminis, quod secumferat vel depositionem vel privationem beneficii *c. 3. h. t. Clem. un. h. t.* Ad constituendum vero Vicarium temporaneum, qui nempe parœciam non retinet in titulum, et potest ad nutum removeri, sequentes dantur in jure causæ: 1^a. Vacante Parochia, donec novus instituatur Parochus, juxta juris dispositionem in *c. 4. de Off. Jud. Ord.* et in *c. 18. sess. 24. Conc. Tridentini de Ref.* ab Episcopo statim ab habita notitia vacationis, si opus fuerit, idoneus Vicarius, congrua fructuum portione assignata, constitui debet. — 2^a. Causa est cum Parochus ob imperitiam honorabile ministerium et regimen animarum exercere non potest. Tunc enim ex dispositione Tridentini *c. 6. sess. 21. de Ref.* Episcopus etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatus potest, qualibet vel appellatione aut exceptione remota, constituere Vicarium et eidem adsignare partem fructuum pro congrua sustentatione, donec Parochus idoneus reddatur. — 3^a. Causa est infirmitas vel longa absentia Rectoris a parœcia etiam ob legitimam causam, ex. gr. si Parochus absit ob studia, quorum cursum nondum explevit *c. 28. de Appell.* et *cap. 'Cum ea' de Elect. in 6.* et *c. 1. sess. 24. De Ref.* in Tridentino. — Tandem constitui potest Vicarius temporaneus, quoties ob supervenientem precariam circumstantiam ex substitutione Vicarii incrementum religionis sperari possit. Ex. gr. si ex agendi ratione parochi titularis, licet reus non fuerit alicujus criminis, odium aut etiam aversio animorum excitata fuerit contra ipsum in populo, quibus mederi posse prævidetur quoties ad tempus Parochus removeatur, et resipiscentiæ argumenta præbeat: Cfr. *S. Congr. Conc. in causa Suspens. Irreg. et Privat. Parœc.* die 5. Dec. 1863.

30. Jul. 1864. 8. Jul. et 12. Aug. 1865. Ex quibus omnibus patet constitui posse ad normam juris Vicarium temporaneum quoties adsit vel necessitas, vel evidens utilitas spiritualis fidelium.

6. De muneribus, obligationibus et juribus Vicarii perpetui et temporanei. — Quoniam Vicarius perpetuus censetur in jure ceu verus Parochus, hinc tota actualis cura idest exercitium curæ animarum ad eundem pertinet, remanente habituali cura penes Rectorem principalem. Inde sequitur eum teneri ad omnes obligationes, quæ Parochos urgent in bonum spirituale plebis cui præest. Quare vel est actu Sacerdos, vel infra annum Sacerdos fieri debet: tenetur ad legem residentiæ *c. 1. sess. 23. de Ref.* in Tridentino et *c. 6. h. t.* nec simul potest plures retinere Vicarias perpetuas *c. 2. h. t.* et *c. 28. de Præb.* Tenetur Verbum Dei prædicare, pueros in rudimentis fidei instituere. Onus insuper eidem inest sacrificium pro populo offerendi, et sacramenta administrandi: *Clem. un. h. t.* Immo nec rector principalis potest sese in hisce rebus immiscere, inconsulto aut invito Vicario perpetuo. Cfr. Bulla Benedict. XIV. '*Cum semper oblata*'. Præterea omnes Constitutiones Apostolicæ quæ de Parochis loquuntur respectu habito ad bonum populi fidelis, Vicariis perpetuis etiam applicandæ sunt.

7. Jus autem Vicarii perpetui traditur in *c. 27. de Rescr.* ubi dicitur 'non enim beneficio carere debet dici, cui competenter de perpetuæ Vicariæ proventibus est provisum'. Hinc Vicarii perpetui censentur esse veri beneficiati perpetui, et habent canonicum titulum, et jus habent congruæ portionis fructuum percipiendæ ex bonis ecclesiæ parochialis. At differunt in aliquibus Vicarius perpetuus et titularis Parochus. 1^a. Differentia est ut qui possidet beneficium ex juris dispositione fructus omnes percipiat; cum præceptum sit ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur. Vicarius vero habet congruam portionem, idest sufficientem quantitatem fructuum ad vitam honeste sustentandam. Beneficium enim proprie competit rectori principali, cui spectat habitualis cura animarum, ad quam exercendam cum assumat aliam personam seu Vicarium, tenetur eidem præstare congruam sustentationem ob spirituale ministerium. — 2^a. Differentia est in eo, ut Parochus titularis teneatur protueri jura beneficii sui, non ita vero Vicarius perpetuus. Nam ipse assumitur ad gerendam vigilantiam et curam spiritualem animarum; ad rectorem vero principalem pertinet exercitium juris parochialis in iis quæ respiciunt externam defensionem,

et vindicationem beneficii, necnon onus, fabricam ecclesiæ parochialis conservandi et reparandi. Unde *S. Congr. Conc. in Eugubina* diei 11. Maji 1594. resolvit 'Vicarium perpetuum Abbatiae debere subire omnia onera respicientia curam animarum, et administrationem Sacramentorum, cætera vero omnia ad Abbatem, seu commendatarium ejusdem Ecclesiæ spectare'.

8. Vicarius perpetuus præsentatur Episcopo a Parocho habituali, et Episcopus postquam dignum in examine reperit, eum instituit in Vicaria. Ita ex Bulla s. Pii V. '*Ad exequendum*' data die 1. Nov. 1567. Unde non urget in casu lex concursus. Romæ autem quoad Vicarios parochiales Ecclesiarum sæcularium ex lege imposita a s. Pio V. in Motu proprio an. 1571. et in *Constit. Leonis XII.* diei 1. Nov. 1824. forma concursus servanda est ita ut parochus habitualis inter approbatos in concursu penes Curiam Cardinalis Vicarii unum debeat eligere, illumque eidem Cardinali præsentare. Solet autem Cardinalis Vicarius Capitulis habentibus curam habituales tres ex concurrentibus digniores proponere, inter quos Capitulum novum Vicarium Parochum eligit.

9. De Vicariis temporaneis. — Si sermo sit de obligationibus, quoadusque persona vicariam exercet, tenetur ea omnia præstare, quæ præstat Vicarius perpetuus. Nam et ipsi revera commissa est cura animarum, et ob hujusmodi scopum stipendium consequitur. Hinc Vicarius temporaneus tenetur in loco vicariæ residere, prædicationis ministerium obire, pro populo sacrificium diebus festis etiam absque præcepto audiendi missam offerre. *Const. Pii IX. 'Amantissimi Redemptoris'* diei 3. Maji 1858. Et quidem hoc onus adeo Vicario incumbit ut licet in ea ecclesia adsit Capitulum seu alius rector habitualis non hic sed Vicarius temporaneus Missam pro populo celebrare teneatur. Ita in *Const. Bened. XIV. 'Cum semper oblata'* § '*cum enim*' et tenuit *s. Congr. Concilii* die 7. Maji an. 1808. Pariter Vicarius temporaneus tenetur sacramenta administrare et cætera implere quæ ad officium parochiale pertinent. Hinc non potest idem duas vicarias temporaneas simul retinere.

10. Quid vero dicendum est de Vicariis Apostolicis et Missionariis in suis Missionibus quoad onus applicandi Missam pro populo? Viderentur teneri eo quod Pius IX. in cit. *Const. 'Amantissimi'* dicat hoc onere obligari 'parochos aliosque omnes animarum curam gerentes'. At *s. Congr. De Propaganda Fide* proposito dubio 'an Vicarii Apostolici ac Missionarii, qui quovis modo curam

animarum in certo aliquo loco assumunt, omnes indistincte obligentur ex justitia ad applicandam Missam pro populo diebus festis?' die 23. Martii an. 1863. respondit 'Negative dummodo non agatur de locis in quibus Sedes episcopales ac parœciæ canonice erectæ jam sint, atque ad eas Vicarii Apostolici et Missionarii missi sint ut legitimorum pastorum vices gerant'. Porro Sedes episcopales eriguntur et constituuntur per actum solemnem S. Sedis, parochiæ autem constituuntur vel ab ipsa S. Sede, vel ab Episcopo vi Tridentinæ dispositionis in *sess. 24. de Ref. c. 13.* Unde quoadusque Vicarius Apostolicus et Missionarii nihil aliud sint quam Verbi Dei præcones, non obligantur ex justitia ad Missam pro populo applicandam. — Quoad vero beneficium, non tenetur Vicarius temporaneus illius jura protueri, sed rector principalis, vel administrator ab Episcopo adsignatus.

11. Si sermo sit de juribus Vicarii temporanei, dicendum est ipsum vere et proprie non esse beneficiatum, sed habere solummodo actum et functionem beneficii, et esse veluti mercenarium rectoris principalis cum jure percipiendi congruam portionem fructuum pro honesta sua sustentatione. Unde Vicarius temporaneus nedum titulum beneficii possidet, sed neque habet titulum in beneficio. Amovibilis enim est ad nutum *c. 28. de Appell., c. 34. de Elect. in 6. et Clem. un. h. t.*

12. At amovibilitas ad nutum est rite accipienda. In genere Ecclesia in suo regimine abhorret ab arbitrio, et ordinatam exigit in omnibus disciplinam. Hinc in genere amovibilitas ad nutum non potest æquiparari arbitrariæ remotioni personæ ab officio quo fungitur. Distinguenda tamen est amovibilitas Vicariorum temporaneorum qui ob precariam prorsus causam per meram deputationem alterius functiones et vices gerunt, ab amovibilitate Clericorum qui officii de se perpetuis præficiuntur sub clausula tamen ut ad nutum removeri possint. Si de Vicariis ob causam precariam deputatis ad tempus sermo sit, doctores tradunt communiter ipsos posse removeri ab officio etiam absque gravi causa, dummodo tamen remotio non fiat ex fraude vel odio. Hoc in sensu loquitur *Bened. XIV. De Syn. Lib. 12. c. 1. n. 2.* Quod si sermo sit de Clericis præpositis alicui officio de se perpetuo ex. gr. Cappellanæ aut curæ animarum sub conditione amovibilitatis ad nutum, ex praxi *s. Congr. Concilii* receptum est ut remotio Clerici non sustineatur si fiat, nulla existente causa. Siquidem honor clericalis

status, et bonum animarum non bene componuntur cum facili et frequenti mutatione personæ quæ officium sacrum de se cateroquin permanens et perpetuum exerceat. Conferri possunt resolutiones *S. Congr.* diei 11. Julii 1626., 6. Aug. 1791. *in causa Farfen*, et aliis omissis *in causa Messan.* 18. Martii 1854, et in causa Vicarii Curati quoad remotionem dierum 27. Junii 1867. et 11. Januarii 1868. Quo ergo in sensu Clericus ab officio suo dicitur amovibilis ad nutum? Amovibilitas in casu sumitur in oppositionem ad perpetuitatem. Beneficia in Ecclesia perpetua esse dicuntur, quia repræsentat antiquos titulos idest stationes illas Clericorum in quibus Clerici divino servitio per ordinationem mancipabantur, adscribebantur in censu seu in canone Ecclesiæ particularis, et ab eadem Ecclesia congruam sustentationem assequabantur. Tituli hujusmodi perpetui erant, et per mortem personæ vacare dicebantur. Unde vetitum erat, ne clericus a sua ecclesia ad aliam transiret. Ita s. Leo Magnus in *Epist. 1. ad Aquilejensem Episcopum* et in *Epist. 8. ad Episcopos Illyrici*. Quare beneficia quæ antiquis Clericorum titulis subrogata fuerunt, et ipsa perpetua dicta sunt. Hinc quando beneficium alicui conceditur, non tribuitur ad tempus determinatum, sed ut semper in vita sua illud possideat. Quapropter personæ in beneficio institutæ inest jus ut non possit invita a beneficio removeri, nisi ex causa a legibus ecclesiasticis contemplata, et non nisi servata canonica forma, idest regulari processu in remotione perficienda. Quorum si alterultrum deficiat, remotio non sustinetur. Hæc duo sunt elementa perpetuitatis beneficiorum. Ergo cum beneficia manualia, cujus rector est amovibilis ad nutum perpetua non sint, sequitur, ad removendum rectorem beneficii manualis a beneficio non requiri causam aliquam a jure recognitam idest causam canonicam nec formam canonicam idest processum regularem. Attamen quia etiam beneficia manualia originem suam ab antiqua firmitate titularum et beneficiorum aliquo modo repetunt, in praxi ex æquitate canonica, quæ a Card. De Luca in part. 1. de Beneficiis Discurs. 96. n. 13. dicitur 'non scripta', inductum est ut ad removendum Clericum a beneficio manuali requiratur causa aliqua rationalis, ne facilis daretur occasio labefactandi famam sacerdotum, et spiritualis utilitas fidelium exularet. Unde causa levis non sufficit, quemadmodum tenuit *S. Congr. EE. et RR. in causa Urbinaten.* diei 11. Septembr. 1584, relata a *Pignatelli tom. 9. consult. 115.*

n. 92. Idem deducitur ex resolutione *s. Congr. Conc. in Messanen.* diei 18. Martii 1854.

13. Ex dictis concludi potest, etiam Vicarium ad nutum absque rationali causa ab officio removeri non posse, si vicaria constituat officium stabile, quod conferatur ad nutum. Vicaria enim in casu beneficiis manualibus accensenda est. His positis quæritur, an et quod remedium competat possessori beneficii manualis et Vicario ad nutum amovibili, si ex arbitrio superioris vel rectoris principalis a beneficio vel vicaria removeantur? Primo quidem dicendum est, contra decretum remotionis a jure non concedi remedium ordinarium appellationis proprie dictæ. Etenim decretum remotionis personæ ab officio quod non possidebat in titulum, non constituit sententiam judicialem, quæ ferri debet juxta acta et probata, prævio processu in forma juris confecto. Remotio enim per sententiam judicialem perficitur in beneficiis perpetuis, quæ constituunt canonicam Clericorum stationem a jure recognitam, et sub juris tutela positam, non autem in beneficiis manualibus et in Vicariis ad nutum, quæ non habent positionem a jure determinatam. At, quoniam Ecclesia in regimine suo ab arbitrio et injusto damno personarum vehementer abhorret; hinc clericis, qui persentiant se graviter læsos esse ob factum remotionis, concedit remedium recursus ad S. Sedem. Probatur id ex constanti experientia, ex qua deprehenditur summum Pontificem excipere solere querelas Clericorum contra decretum privationis beneficii manualis et remotionis Vicarii amovibilis, quemadmodum frequentes *s. Congr. Conc.* resolutiones ostendunt. Porro extra dubium est, Ordinarium vel Rectorem habituales, qui removit possessorem beneficii manualis vel vicarium amovibilem, seriem actorum et causas remotionis tribunali S. Sedis exponere debere, ut S. Sedes decernere possit, utrum recursus admittendus sit, vel rejiciendus. Unde remotio ut sustineatur, talibus debet fulciri causis, ob quas S. Sedes rationabiliter debeat rejicere querelas seu recursus coram se propositum. Doctores vero sequentia principia tradunt. Primo quidem nullo modo sustinetur remotio, si constiterit, eam ex causa odii vel ex fraude processisse. Ita *Card. de Luca De Beneficiis part. 1. discuss. 97. n. 11.* et *Bened. XIV. De Syn. Diæc. Lib. 12. c. 1. n. 2.* Et quidem hæc regula valet etiam si agatur de meris officiis, et de simplici et temporali deputatione personæ in aliquo servitio, in quo scilicet Clericus deputatus nihil agit nomine proprio,

sed omnia gerit nomine deputantis. Secundo pariter remotio non sustinetur si fiat absque rationabili causa, et Clericus ex remotione patiat grave vulnus in fama coram populo, vel aliud grave præjudicium: ex. gr. si senex vel ægrotus sine causa removeretur a beneficio vel officio amovibili, ex quo sustentabatur. Et ratio est: quia nemini injuria aut damnum ex arbitrio irrogari potest.

14. De stipendio Vicarii ad congruam vitæ sustentationem. — Patres Conc. Tridentini *sess. 7. c. 7. de Ref.* intentionem suam manifestant, ut quoties cura animarum commissa sit corpori morali, Ordinarii sollicitè providere procurent ut per idoneos Vicarios etiam perpetuos, nisi pro bono animarum aliter expedire videatur, cura animarum exerceatur; simulque arbitrio Episcopi committunt, ut determinet stipendium sive in tertia parte fructuum beneficii curati, sive in minori, sive in majori prout viderit opportunum pro laudabili exercitio curæ animarum. S. Pius V. vero in *Const. 'Ad exequenda'* edita kal. Nov. 1567. ut facilius induceret Capitula et alia Collegia personarum ecclesiasticarum ad exequendam dispositionem Concilii Tridentini pro constituendis Vicariis in actuali cura animarum exercenda, ne persentirent grave admodum incommodum, voluit limitibus circumscribere arbitrium Episcopi ita ut portio Vicariis adsignanda quamvis minor esse non posset annuis scutatis 50, non excederet vero annua scutata centum, computatis omnibus etiam incertis emolumentis, et aliis obventionibus. Porro *s. Congr. Conc. in Astensi* diei 28. Octobris an. 1585. et *in Papiensi* diei 2. Martii an. 1722. nomine emolumentorum et obventionum venire declaravit ea emolumenta et obventiones quæ, licet quoad quantitatem incertæ sint, tamen aliqua certitudine gaudent quoad exactiorem in genere. Unde juxta s. Congregationem computanda non sunt in congruum ea incerta quæ dependent ex labore personali, ut sunt eleemosynæ altaris atque similium. Voluit etiam summus Pontifex, hanc defigens normam, veteris juris speciem servare, quo beneficium parochiale fuerat unitum Cathedralibus Ecclesiis aut Monasteriis; ex quo beneficio utilitas proveniret eisdem. Quam utilitatem studuit saltem partialiter conservare, præservando Rectoribus principalibus aliquam partem fructuum beneficii ejusdem, et concedendo Vicariis portionem determinatam. Et quidem ex declaratione *s. Congr. Visitationis Apostolicæ* diei 25. Novemb. an. 1693. hæc regula a s. Pio V. statuta applicanda etiam est

Vicariis amovibilibus. Consonat resolutio *s. Congr. Conc. in cit. Papiensi* 2. Martii 1722.

15. Verum ex praxi et ex Doctorum sententia visum est non posse hac in re ubique eandem regulam, iisdem limitibus circumscriptam servari. Quare Bened. XIV. in celebri *Const. 'Cum semper oblatas'* diei 19. Aug. 1744. pro Italia pristinam Conc. Tridentini dispositionem renovavit, atque arbitrio Episcopi remisit, ut juxta temporum et locorum circumstantias, nec non pro populi multitudine, possit majorem etiam pecuniæ vim quam centum scutata Vicariis adsignare. Romæ autem servanda est regula statuta in *Const. 'Super Universum'* Leonis XII. diei 1. Novemb. an. 1824. circa divisionem proventuum et obventionum in medietate inter Capitula et Vicarios perpetuos, exceptis peculiaribus conventionibus approbatis vel a summis Pontificibus vel a s. Congregationibus. Porro hac in re adnotandum est, portionem fructuum Vicario perpetuo auctoritate vel consensu Ordinarii adsignatam non posse minui a Rectore principali qui eum constituit, nec ab ejus successore *c. 3. h. t. et s. Congr. Conc. in Cosentina* diei 31. Julii an. 1693. et *in causa Burgi s. sepulchri* die 7. Septembris an. 1699. Excipi tamen debet casus quo notabilis mutatio contigerit. Et ratio est, quia congrua portio adsignata Vicario censetur esse ad instar canonicæ portionis, quæ induit naturam perpetui beneficii.

16. De Vicariis jurisdictionis. — Quatuor præcipue numerantur Vicarii qui ecclesiastici magistratus loco et vice jurisdictionem exercent. Nempe Vicarius Generalis, Vicarius Foraneus, Vicarius Capitularis et Vicarius Apostolicus.

De Vicario generali.

17. Vicarius generalis ille est, qui ex Episcopi mandato vel deputatione jurisdictionem exercet in tota Diœcesi. Sciendum vero est, ex cap. ult. h. t. in 6^o. et ex praxi in aliquibus locis distinctum fuisse Vicarium generalem ab Officiali Episcopi; cum illius auctoritas versaretur in iis quæ sunt voluntariæ jurisdictionis, Officialis vero præset jurisdictioni contentiosæ et in negotiis forensibus vices Episcopi gereret; atque idem esset, qui olim dicebatur *Missus Episcopi c. 2. de Reg. c. 1. de Frig. et malef. et Glos. ad c. 2. v. Officalem de Offic. Vic. in 6.* Verum juxta

communem acceptionem Vicarius generalis est idem ac Officialis, et unum nomen pro alio indiscriminatim sumitur, quo idem officium designatur.

18. Ex notione a nobis data sequitur Vicarium generalem ab Episcopo constitui; eum enim repræsentat *c. 2. de Cons. in 6.* atque adjuvat in administratione Diœcesis eidem Episcopo commissæ. Constituit vero Vicarium generalem Episcopus auctoritate propria, atque ipse eadem auctoritate removet, nec utroque in casu indiget consensu Capituli. Hæc facultas instituendi Vicarium generalem primum concessa est Episcopis a Conc. Lateranensi IV. cujus dispositio refertur in *c. 14. de Off. Jud. Ord.* Necessaria autem fuit dispositio juris communis ut Episcopi Vicarium generalem instituerent; nam agebatur de novo officio instituendo cui generalis jurisdictio committeretur, ac locum et jura quodammodo ingrederetur illius potestatis, qua Archidiaconus ex juris dispositione fruebatur.

19. Quærent DD. 1º. an teneatur Episcopus Vicarium generalem constituere. Absolute et ex lege explicita non tenetur Episcopus Vicarium generalem constituere quemadmodum Auctores ostendunt duce *Barbosa in Alleg. 54. n. 125. de Off. et pot. Episcopi* et in *Lib. 1. Jur. Eccl. c. 15. n. 16.* ubi pro sua sententia nonnullas s. Rotæ Rom. decisiones affert. Verum inspectis gravibus negotiis, quæ persolvere debet Episcopus, et variis occupationibus ministerii sacri quibus distrahitur, dici potest juxta sensum *cap. 15. de Off. et pot. Jud. Ord.* illum generaliter teneri. Quod si vero Episcopus Vicarium non habens, Diœcesis administrationi non faciat satis, esse potest locus negligentiae, quam superior suppleat; idest superior ipse immediatus aut Rom. Pontifex constituere potest pro Episcopo Vicarium generalem. Quin immo si Episcopus non paruerit admonitionibus s. Congregationis super negotiis Episcoporum et Regularium, destinatur ei Vicarius, qui appellatur Vicarius Apostolicus, quem Episcopus remove non potest, et in negotiis peragendis procedit auctoritate sibi a S. Sede commissa.

20. Quæritur 2º. cujus naturæ sit potestas Vicarii generalis, an ordinaria scilicet, vel delegata. In genere ordinariam potestatem habet, qui eam habet non ex mandato quodam speciali, sed ex eo solummodo quod assumatur ad aliquod officium, et eam retinet quoadusque in officio perseveret. Delegatam vero ille habet

qui ex mandato committentis potestatem possidet, et exercet non tanquam propriam sed tanquam alienam et nomine committentis. Aliqui asserentes jurisdictionem Vicarii generalis esse delegatam contendunt probari posse ex eo quod hic nomine Episcopi regat Diœcesim, causas decernat vice ejusdem, ita ut ejus auditorium seu tribunal sit idem ac illud Episcopi, nec ab ejus sententia possit appellari ad Episcopum; et tandem jurisdictio Vicarii cessat cessante jurisdictione Episcopi. Qui autem tenent, esse ordinariam, ajunt hanc potestatem officio cuidam esse adnexam, ita ut donec retineatur officium, perseveret in persona jurisdictio. Insuper si esset delegata, appellari posset a sententia Vicarii Generalis ad tribunal Episcopi delegantis. *Glos. in c. 2. de Consuet. per text. in cap. 'Super quorundam' de Off. Deleg. et cap. 'Dilecti' de Appell.* Quemadmodum a sententia Vicarii foranei appellatio datur ad Episcopum. *Clem. 2. De Rescr.* Appellatio enim instituitur ab inferiore ad superiorem. Gl. notabilis in cit. *Clem. 2. de rescr. v. foraneo.*

21. Neutri autem harum opinionum pure et simpliciter subscribere possumus. Nam potius tenemus jurisdictionem Vicarii generalis esse sui generis, ac utriusque simul ordinariæ et delegatæ jurisdictionis indolem aliquomodo referre. Sciendum namque est omnem potestatem ordinariam in Ecclesia ita constitutam fuisse ut adnexa esset beneficio vel magistratui. Considerabatur enim potestas regendi populum Christianum ceu pars officii ad quod assumebatur persona divino servitio mancipata. Hinc ideo Episcopus, ideo Archidiaconus, et Archipresbyter jurisdictione ordinaria gaudebant, quia beneficium Episcopatus, Archidiaconatus etc. possidebant. Quare Vicarius generalis qui non distinguebatur ab Archidiacono etiam ipse titulo suo beneficiati adnexam habebat jurisdictionem. Ob abusum vero Archidiaconorum, Ecclesia eorundem jurisdictionem abolevit, ac substituit Vicarium generalem. Ergo jurisdictio Vicarii generalis induit naturam jurisdictionis ordinariæ, quia substituta est potestati Archidiaconi, et in similitudinem ejus fuit inducta. Hinc eo ipso quod Clericus sit ab Episcopo constitutus Vicarius generalis, ex dispositione juris ratione officii sui jurisdictionem assequitur. At jurisdictio Vicarii generalis nulli beneficio conjungitur, nec titulo perpetuo, sed ab Episcopi voluntate regitur et perseverat. Hinc Vicarius generalis non habet titulum proprium sui ministerii, nec magistratum distinctum con-